VINCENTIJ BLASIJ GARCIAE VALENTINI ORATIO FUNEBRIS, HABITA NEPETAE, CUM EO CADAUER...

Vincente Blas Garcia

Digitized by Google

AD ILL. ET REVEREN. D. D.

ODOARDVM FARNESIVM

S.R.E. CARD. AMPLISS.

PRAEFATIO.

Ita Solinus, & Plinius vocant: Strabo, & Ælianus chinocratem, Iuſtinus Cleonem.

PRofectvs è Macedonia Dinocrates, Architectus ætatis ſuę nobiliſſimus, ad Alexandri Magni caſtra peruenerat, ea ductus cauſſa, quæ multos, quibus tenues opes, & exiguæ facultates ſunt, ad ineundam Regum, & Principum gratiam impellere conſueuit. Cum autē illi, ignoto prorſus, & ab amicis inopi, deeſſet, qui, manu prehenſum, ad Regem deduceret, conſilium cepit, initio fortaſſe abſurdum, ſpecie ridiculum, exitu felix, & glorioſum.

Qualis eſſet Dinocrates.

Erat Dinocrates, procera corporis ſtatura, firmis lateribus, honeſta facie, & liberali, omnium, qui tunc ibi aderant, venuſtiſſimus. His egregijs naturæ dotibus fretus, veſte poſita, corpus oleo perunxit; caput frondium corona cinxit; læuum humerum Leonis pelle texit; dextraq. clauam tenens, ad tribunal Regis, ius dicentis, lento paſſu, grauiq. perrexit. Eum, quod aſtantem multitudinem rei nouitas auertiſſet, conſpexit Alexander, hominiſq. animum, & conſilium admiratus, iuſſit eum propius accedere; atque, contemplatus aliquandiu, rogauit, quis eſſet, & quid ſibi vellet.

Alexādri beneficentia in Dinocratē.

Lætus Dinocrates, & exultans, vt is, cui optata contigerant, aduentus ſui rationem expoſuit, qua Rex permotus, illi, in numero ſuorum habito, condendæ Alexandrię curam, cogitationemq. commiſit. Felix Dinocrates, qui, quod ab alijs, aut recuſantibus, aut diē ex die ducentibus, aut, vt totum ſibi Principem vendicarent (qui mos, & quæ peruerſitas aulicorum eſt) ab illius ingreſsione reliquos propulſantibus, exorare non potuit, haud aliunde pendens, nec amplius expectans, ſed a ſe ipſo præſidium petens, aſſecutus eſt. Idem mihi, ſuperioribus menſibus, faciendum profecto fuit, Odoarde Farneſi, Cardinalis ampliſſime, ſi non ad Regem, ad illuſtrius tamen S. R. E. Principem, ſi non ad Alexandrum Magnum, ad Alexandri tamen Farneſij filium (quod tantundem eſt) aditum quæſituro. Quo enim die te, ampliſſima auctum dignitate, maximo cum plauſu, incredibili voluptate, omniumq. ordinum gratulatione, Vrbs excepit Roma, eodem die acerrimum me tui colendi deſiderium cepit, non tam ſecutum florentem gratiam, quam

Quæ admirabilem, & amabilē Odoardū Far. Card. fecerint.

præclaras tuas, ſingulareſq. virtutes. Veniebant tunc mihi in mentem multa, quę partim illuſtrisſimus ille, & ſplendidiſſimus tot Principum, & comitatus, & concurſus oculis meis, partim Populi Romani, lætitia geſtientis, & ſecundæ omnia, atque proſpera nouo Cardinali precatis, fauſtæ voces cogitationi ſuggerabant. Obuerſabatur primum animo Alexandri Far-

neſij

neſij, Patrui tui magni, cuius in locum ſuccedebas, induebaſq. perſonam, ad mirandis virtutibus parta gloria; deinde Sacroſancti Ordinis, qui te ſociū, conſortemq. ſtudiorum, ac laborum ſuorum vehementiſſime expetiuerat, auctoritas, & exiſtimatio tanta, quanta in Principe orbis terrę Senatu eſſe debet; Denique Gregorij XIV. optimi, & Summi Pontificis, qui te tam cu pide, tamq. honorifice in Sacrum Collegium cooptarat, augusta, & veneranda maieſtas. Hæc ſingula ſi homini nouo contigiſſent, omnium certe ſtudia, & voluntates, omnium illi beneuolentiam conciliaſſent. Cum vero in te, quem Maximorum & Pontificum, & Imperatorum progeniem terrarum orbis agnoſcit, coniuncta mirabiliter, & ſociata conſenſerint, & ad tuam laudem, & gloriam, ad ceterorum cultum & reuerentiam conſpirarint, neceſſe quidem eſt, vt non ſolum te admirabilem, verum etiam amabilem fecerint. Illo itaque die, quem Roma lætiſſimum vidit, me, atque, (vt arbitror nec difficilis aut obſcura coniectura) bonos omnes ad te amā dum, colendumq. rapuiſti. Volebam equidem patefacere tibi intimos ſenſus animi mei; cupiebā aditum ad notitiam tuam: pudor etiam meus, pæne ſub ruſticus, ſed multo magis amicorum, qui id muneris ſuſciperent, deſtitutio impediuit, quo minus votis meis reſponderet euentus. Ergo cum oculis diu quęſiuiſſem, ecquis eſſet, quem adirem; quem prenſarem, vt mihi, commendatione ſua, fores ad beneuolentiam tuam aperiret; nec, cum omnia circumſpexiſſem, omnia expertus eſſem, res ex ſententia ſuccederet, collegi ipſe me, & ad ſtudia literarum, à quibus inanis, niſi ſua culpa, diſcedit nemo, confugiens, ingenium, qualecunque eſt, & memoriam excuſſi meam, atque ab eis opem implorans, orationem confeci funebrem in laudem Sereniſſimi Parentis tui, quem vnum hęc noſtra tulit ætas Imperatorem, cum rei militaris peritia, & genere quodam inuſitato geſtarum rerum, tum religione, pietate, & promeritis in rem chriſtianam longe clariſſimum. Hęc vna, quam obſcuritati prætendens nominis mei, tibi, vt neceſſe fuit, obtuli, omnia impedimenta amouit, hęc introitum ad conſpectum tuum aperuit; hac ianuam ad congreſſum, & ſermonem patefecit. Quamquam, vt ingenue fatear, neſcio prorſus, cui plus debeam, lucubrationi nè meę, an humanitati tuæ. Illius ſiquidem beneficio, vt tibi notus eſſem, huius magnitudine, vt ſic notus eſſem, obtinui: id quod ego non modo non negabo, ſed prædicabo libenter, & ſemper præ me feram. Memini, enim, memini, nec vnquā obliuiſcar illius diei, cum me, ob amplitudinem tuam, timide, ob meam humilitatem, diffidenter accedentem, humaniſſime accepiſti; tui reuerentia demiſſum, ac ſupplicem, porrecta manu, extuliſti; bonorifice appellaſti; munuſculum illud leui denſæ craſſo filo, cuiuſmodi mea eſſe ſolent omnia, gratiſſimum fuiſſe, deq. meis rebus curæ tibi futurum, oſtendiſti. In quo vtram magis admirer, tuam ne in tanta perſonę grauitate comitatem, an in comitate beneficentiam, vix apud me ſtatuere poſſum. Humanitatis quidem fuit, me, hominem ignotum, & nulla re magis, quam propenſę cuiuſdam voluntatis erga Sereniſſimum Patrem tuum ſignificatione commendatum, tā benigne, beneuoleq. tractaſſe, magnificentię vero, non, niſi liberaliter munera-

Alexander Farn. Cardinalis.

Sacrum Cardinaliū Collegium.

Grego. S. Pont. xiiij.

Vt Dinocrates a bonis corporis, ita orationis auctor a bonis animi quæſiuit auxiliū.

Odoardi Farneſij humanitas, & magnificentia.

Vnde Farneſij Princeps gloriam ſibi potiſſimũ cõparatint.

tum, dimiſiſſe. Macte animi virtute, Princeps illuſtriſſime; Hac beneficentia, hac integritate morum, hac generoſa mentis altitudine, qua ſeſe ſupra res humanas ita extulerunt, vt de humano genere adiuuando ſemper cogitarint, Maiores olim tui, proxime Pater tuus, inclytę virtutis Heros, conſecuti ſunt, vt mortui cum ſint, in gloria viuant. His gradibus, his, inquam, gradibus, per quos efferri ad ampliſsima quęque cępiſti, in cælum

Alexãder Farneſius Cardinalis.

aſcendiſſe exiſtimatur Alexander Farneſius, tui ordinis Princeps, amor, ac delitię non Vrbis modo, ſed etiam orbis. Erant tunc in ſacro Collegio nonulli, pares nobilitate, ſuperiores opibus; at illius quanta eſt celebritas nominis? Quanta gloria virtutis, verumq; geſtarum? Quæ memoria, quod deſiderium bonis omnibus relictum? Quę de illo exiſtimatio, quod iudicium fuit præſentium? Qui ſermones erunt poſterorum? Quę prædicatio, quę admiratio ſæculorum conſequentium? Excluſit vir, & virtute, & conſilio

C. criſp. Saluſt. Magnũ nobilitatis malum, arrogantia.

& ratione vitę mirabili ad laudem, & prope ſingulari, a diuitijs luxum, à nobilitate ſuperbiam, a ſplendore faſtum, exprobrationem à beneficentia, & quę hominum inſcitia, communisque multorum error cum virtutibus vitia coniunxit, ea nouo quodam, & inuſitato prudentię genere ſeparauit. Vnus deniq;, vt erat, ſic habitus eſt & ſine iactantia officioſiſsimus, & ſine oſtentatione religionis ſanctiſsimæ cuſtos vigilantiſsimus, & ſine ambitione dignitatis Eccleſiaſticę defenſor acerrimus. Vt molto plura, quæ mortales admirentur, potius, quàm aut imitatione, aut oratione exprimant, hęc noſtra ætas in vno Cardinali Farneſio viderit, expertaque ſit, quam vnquam, immodica rerum ſuarum laudatrix, finxit antiquitas. Et tamen, cum talis, ac tantus eſſet, meliorem, atque maiorem debere ſe, quemlibet, ſi paulo diligentius curaret, poſſe eſſe, dicebat. In huius tanti Herois loco, honoriſque ſede, non, quæ tibi cum illo fuit, cognatio ſed quæ omni ſeſe ex parte oſtendit, ſimilitudo, non Cardinalium conſenſus, ſed hominum de tuis virtutibus, quarum pulcherrima ſpecies mirabiliter elucet, exiſtimatio, te, adoleſcentem adhuc. ſed adoleſcentem, cum ætati tuæ præſtantem tum prouectã iam multorum, & magna cum laude traductam præcurrentem Sanctiſsimi Pontificis manu, Deo approbante, collocauit. Hinc dubitat nemo, quin, vt es natura cognominis auiti heres, ita voluntate in gentilitij ſplendoris poſſeſſione conſiſtas; &, vt ſucceſſor honoris, ita beneficientiæ, liberalitatis, reliquarumq. virtutum æmulator ſis. Hęc expectatio facit, vt quibus ſtu-

Pomp. Magnus ad Syllam, auctore Plutarcho.

dijs illum homines proſequebantur, eadem, & fortaſſe maiora (plures enim venerantur Solem orientem, quam occidentem) in te certatim conferant. Non enim tantum bonis omnibus luctum olim attulit (attulit autem longe maximum) illius iam vita functi, abſentia, quam nunc tua illos præſentia delectat, in cuius vita illũ viuere videt, & quã diutiſsime victurum confidunt; nec putant Farneſium Cardin. extinctum. ſed eum, cum ad te, veram illius, & expreſſam imaginẽ, oculos conuertunt ad florentẽ ætatem reuoca-

Cur Odoardo Farn. Cardin hæc oratio dicetur.

tum arbitrantur. Ideo, quæ illius, niſi fuiſſet morte ſublatus, futura erant, tua eſſe volunt; quę illi debebant, tibi perſoluunt; quę ab illo ſperabant, à te poſtulant, quæ ille ſpoponderat, tibi dependenda eſſe dicũt. Non ergo mirũ,

ſi hæc

ſi hæc funebris oratio, quę ſub celeberrimo Magni Patrui tui nomine, ſi viueret, diuulganda fuerat, tibi dicata, in lucē proferatur. Debebatur illa quidem glorioſo Principi, quippe quæ Prolegati Celſi, cuius Maiores multis ab hinc annis in Farneſiorum ſe clientelam, & fidem contulerunt, ita virtutes, & facta commendet, vt ea, ab imitatione, & exemplo Farneſii Legati magna ex parte prodiiſſe fateatur. Aequum etiam fuit, vt, quos primum maiorum quaſi domeſticus vſus, & conſuetudo deuinxit; voluntas deinde Summi Pontificis, & eiuſdem muneris adminiſtratio coniugauit in terris; morte poſtea ſeparatos, virtutum ſimilitudo, & diuina clementia (vt credimus) coniunxit in Cælo, vna itidem eos, quātum poſſet, & quomodocunq. poſset, ſociaret Oratio. Quare, quam optimo, & beneficentisſimo Principi, ſi ad hūc vſq. diem illi ducere ſpiritum licuiſſet, erā dicaturus, eam tibi, qui vicarius illius muneris ſuccesſiſti, parteſque ſuſcepiſti, libenter offero; oroq; vt qualem ſe Magnus Alexander erga Dinocratem præbuit, talem te erga clientem hunc tuum præſtes; atque efficias, vt eius, cuius factum ſecutus ſum, felicitatem conſecutus exiſtimer. Erit enim tibi multo glorioſius Regis, in me adiuuando, magnificentiam expreſsiſſe, quam mihi vtilius, in aucupanda tua gratia, Architecti veſtigiis inſtitiſſe: ſiquidem multo maior eſt in dandis beneficiis gloria, quam in accipiendis vtilitas.

Beatius eſt dare, quam accipere.

x. Kal. Nouembris M, D. LXXXXIII.

ORA-

ORATIO.

Cur mortuorum facta publice laudentur.

SVSCEPIT vita, conſuetudoq. cōmunis, Viri clariſsimi, vt, qui cum Dei cultu, & reuerentia virtutis exercitationem, & in homines beneficētiam coniūxerunt, eos multis in cęlum laudibus efferamus; eorum dicta, & facta ſermonibus, honorifice habitis, celebremus; nec ſolum viuis, ac videntibus exquiſitos, ſed mortuis etiam immortales honores ha
1 beamus. Hac ratione & ſua in terris veræ virtuti merces, quæ gloria
2 eſt, perſoluitur; &, qui ſatis ſua ſponte ad hōneſtas actiones propendent, excitantur acrius, & vehementius acuūtur, vt, quo honore mortuorum virtutes decoratas vident, eundem ipſi, paribus excellentes
3 meritis, conſequantur. Qui per ſtadiū virtutis ingreſſi, in eo languēt deſidia, herentq. in curſu, quem inſtituerant, cum imbecillitate naturæ, tum, corruptrice morum, voluptate retardati, alacrius multo ad recte, honeſteq. agendum, ſuperatis omnibus impedimentis, incendun-
4 tur. Qui vero vitijs, & ſceleribus contaminati, in ſordidis voluptatibus, velut in cęno lutulentæ ſues, volutantur. hi, modo relictus ſit illis ſenſus aliquis humanitatis, è ſordibus ſuis emergentes, præteritæ vi-
5 tæ turpitudinem noua morum elegantia delere conantur. Pauci denique ſunt, qui non ſuſcipiant illam; qua mortales immortalibus proximi fiunt, iuuandi, beneq. faciendi voluntatem, illorum imitatione, quos vident ſibi ad nominis claritatem, virtute quærendam, promeritis ingenus hominum maximis, præluxiſſe. Hæc ſi vera ſunt, vt certe ſunt, cogitaſtis olim prudenter, & nunc præclare, & ex officio facitis cum Horatij Celſi, Epiſcopi Melphienſis, & Prolegati Flaminiæ, admirabiles illas, quibus, vt eſſet quam maxime cælitibus ſimilis, laborauit, illuſtri memoria virtutes, & recordatione proſequimini. Sic.n. memores beneficiorum, quæ in vos contulit viuus, optime de mortuo meremini; & viuos officij admonetis; atque ad illa, quæ in hominum vita præcipua ſunt, eſſeq. debent, pietatem in Deum, in homines beneficentiam, virtutem in moribus, immortalis oſtentata ſpe laudis, adhortamini. Huc ſpectant atrati iſti parietes, pullæ veſtes, lamentabiles, aut certè lamentabili & voce, & concentu prolati, cantus, erecta, vetuſto more, cænotaphij moles, inſignibus Celſianæ familiæ diſtincta, & quam plurimis cereis funalibus accenſis, longe, lateq. collucēs, templumq. hoc ornatum, ad ſpeciem, magnifico apparatu, ad ſenſum, cogitationēq. acerbo, & lugubri. Quorſum præterea huc, altero poſt obitum anno, tranſlatum, ritu chriſtiano, & funebri pompa, cadauer? An, vt vulnus, immatura morte Horatij, animis veſtris inflictum, hoc inducto ſpectaculo, recrudeſcat, dolorq. tempore ſopitus, refricetur? Atqui nihil eſt longius a luctu, quam mors, quam vita, magna cū laude traducta, præceſſit. Neque vos ea eſtis leuitate, vt naturæ humanæ obli-

Funebris Pōpę deſcriptio.

obliuiſci, neque ea contumacia, vt communem omnium mortalium conditionem recuſare, neque ea mollitia, vt dolori, & ægritudini plus ſatis indulgere, conſentaneum rationi, aut veſtra exiſtimatione dignũ putetis. An, vt reſtitutum auito ſolo, & inter ſuos iacens, placide conquieſcat? Atqui in pace factus eſt locus eius, & habitatio eius in Sion. Diuina bonitas, quam Horatius ſancte, ac religioſe coluit, illius animum, vt ſpes eſt, ad miſericordiam conuerſa in cõſeſſu, concilioq. cælitum collocauit. Adhibitus eſt etiam orator. Quorſum? Num, vt qua luce viuens Horatius caruit, eam mortuus, fictis, & aliunde accerſitis, laudibus, & verborum lenonicio, atque fuco nanciſcatur? Num, vt tenebræ Epiſcopi, & Prolegati, noſtra ætate clariſſimi, factis, offuſæ, diſerti hominis voce diſijciantur, diſſipentur? Atqui non indiget orationis lumine, qui, in ædita totius Italiæ quaſi ſpecula aliquandiu conſtitutus, omnium oculis patuit; nullius laudes exſpectat, qui ita laudabiliter vixit, ac ſi vnius laudis ſtudio traheretur; ita laudem excepit, ac ſi de ea nunquam in vita cogitaſſet: non deſiderat alienum præconium, cuius exſtant prudentiæ, doctrinæ, continentiæ, iuſtitiæ, ceterarumq. virtutum, non ad exigui prædicationem temporis, ſed ad omnem ætatem impreſſa veſtigia. In quo laudo equidem iudicium veſtrũ, & maximas vobis eo nomine gratias ago, quod, cum ad hunc honorẽ ſepulturæ, viri eloquentes ingenium, & operam offerrent ſuam, me potiſſimum elegiſtis, eum, ſcilicet, in quo minimum oratoriæ facultatis, multum, atque adeo etiam plurimum fidei, pietatis, obſeruantiæ erga familiam veſtram, quæ me ſibi magnis beneficijs obſtrinxit, agnoſcitur. Seruiat, ſeruiat, quando ſic viſum eſt ſuperis, mea vox huic officio, vt ſupremo, ſic nobis, qui præſtamus, luctuoſo, & ei, cui præſtatur, debito: ſit comes, & miniſtra huius funeris, quod propter iacturã præſtantiſſimarum virtutum, & renouationem acerbi doloris, & qui illi præſunt, mentibus fugiunt, & oculis, qui miniſtrant, auerſantur, &, qui interſunt, recordatione ipſa perhorreſcunt. Qualem enim te, Horati Celſe, optimi, & tui ſimillimi, fratres, qualem cognati, affines, propinqui, qualem Nepeſini, vt nihil hic de Melphienſibus dicã, exſpectabant, ſi quãdo à grauiſſimarum procuratione rerum ſecedẽs, ſolum hoc, vbi primum maiores tui, nobiles viri, de cælo ſpiritũ hauſerunt, & veſtigia ipſa, in quibus, hinc abiens, poſtremum inſtitiſti, velles reuiſere! Videre te animo videbantur, non exangue, & exhauſtũ corpus, non tetro aſpectu, & horribili ſpecie cadauere, non oſſa, conſumpta, & exeſa carne, vix cohærentia, atque deformia, ſed decora canitie venerandum, maximis honoribus cumulatum, purpura, aut, ſiquid illa pretioſius eſt, inſignem, dignum demum illa ſede, cælo proxima, cui te totũ addixeras; cui tuos à puero labores, vigilias, ſtudia, curas omnesq. vitæ rationes conſecraras; pro qua te acerbſſima quæque pati, ſanguinem deperdere, ſalutem affligere, libertatẽ proijcere non dubitaturum, is, qui, priuſquam opinari, aut timere potuimus,

 ſecutus

ſecutus eſt, oſtendit euentus. Hoc ſpectro, quod ſibi quiſque finge-bat, omnes recreabantur; ſuam, cum te Summorum Pontificum au-ctoritas ex eorum conſpectu ſubduxiſſet, orbitatem ſolabantur, acre tui abſentis deſiderium leniebant. Hac pro dolor! hac ſpe ſe ipſi, vt poterant, hac ſuas mentes, hac conſilia, cogitationeſq. ſuſtentabant. Eam, hodierno præſertim die, inanem experti, quo dolore crucien-tur, quanto in mœrore iaceant, neceſſe eſt? Vere profecto, impie lo-cutus, cecinit Poeta, neſcio, quis; Quem diligunt Dij, iuuenis ille tollitur. Mortuus ſiquidem eſt Horatius florente ad huc ætate, natus tunc, cum Paulus III. ſanctisſimus, & modis omnibus Maximus Pon-tifex, vniuerſæ Eccleſiæ præerat. Vt non mediocri futurum fuiſſet il-li & gloriæ, & felicitati (ſi vtrique diutius viuere licuiſſet) primum in eo Pontificatu lucem aſpexiſſe, qui dicitur ſalutarem quandam orbi terrarum lucem poſt maximam rerum omnium caliginem, atque per-turbationem attuliſſe. Patrem habuit Iohannem Celſum, pernobilem uirum, omnibus, ciue Romano dignis ornamentis cumulatum, & ho-neſtiſsime quæſitis, atque ad opulentum patrimoninm adiunctis opi-bus, locupletem, tamq. conſtanti vel ciuium, vel externorum ſtudio adamatum, vt, cum coleretur a ſingulis, cuncti eum, vt domi ſplen-didum, & extra domum gratioſum obſeruarent. Placebat enim bonis omnibus, quibus cum libentisſime verſabatur, illius in gerendis ne-gocijs animi præſtantia; placebat benignitas in egentes magna; place-cebat ſplendor, & magnificentia in Principes, apud quos honeſtiſſi-mum ſemper locum obtinuit. Potisſimum vero fides non modo illis, quos labentes ſuſtinuit, ad retinendam veterem exiſtimationem, ne-ceſſaria, & alijs, quorum res erant integræ, & florentes ad certam per-fugii ſpem, ſi quando laborare cæpiſſent, gratiſsima, ſed etiam eiuſdē ordinis hominibus ad exemplum, & imitationem aptisſima, & ipſi eidem ad nominis fomæq. celebritatem opportunisſima, eximio conſenſu laudabatur. Vnde conijcere licet Iohānem Celſum in augen-da re, benignitati inſtrumenta, animi magnitudine, quæſiuiſſe, in di-uidenda, auaritiæ prædam, liberalitate detraxiſſe, hiſq. duabus lau-dibus, quæ in paucisſimis agnoſcuntur, magnas, multaſq. virtutes aggregaſſe. Niſi quis ſit tam abſurdis ſenſibus, vt putet tantam omniū ordinum beneuolentiam, tantam procerum, & optimatium propen-ſionem, tantam principum gratiam mediocri parari virtute potuiſſe. Matrem habuit Atalantam Corbaram, perilluſtri genere, inſigni pu-dicitia, felici fæcunditate, excellenti forma, animo excelſo, planeq. virili fœminam, eloquentia vero tanta, vt priſcæ ætatis mulieres, Le-lij, & Hortenſij filias, quarum illa reddidit in loquendo paternam eloquentiam elegantiorem, huius oratio, apud trium viros habita, cū admiratione legebatur, ſuperauerit. Rem incredibilem, & ad tem-pus confictam illi exiſtimabunt, qui aut non interfuerunt, aut non legerunt, aut fando non audiuerunt, quantum in periculum Roma-

na res

Menander.

Natus Horatius vltimis annis Pontificatus Pauli III.

Iohannes Celſus Horatij pater.

Atalanta Corbara Horatij mater.

Plini' ſenior.

na res ſit, toto Pauli IV. interregno, quantum in diſcrimen adducta. Pauli 4 Inter Regnum.
Erat tunc Vrbs ſolicita ſuſpicione, ſuſpenſa metu, perturbata ſeditioſorum quorundam temerario conatu: vagabatur tota Roma concitatæ plebis infinita, & ad omnem audaciam proiecta, multitudo: uix manus a direptionibus, vix flammam, qua nonnulla iam ad paruam, quam vocant, Tyberis ripam incenſa deflagrarant, a reliquis tectis, vix gladios, ciuili imbutos ſanguine, a cædibus obuiorum continebat. Obſederat omnes aditus illius plateæ, vbi nunc pulcherrimum Farneſianum templum viſitur; Celſianis ædibus, in quibus magnam auri, argentiq. vim, & multiplicem gazam occultari, rumor erat, igni, & ferro minabatur, auſura ſine dubio, impellente auaritia, cogente libidine, furore arma miniſtrante, aliquod nefariũ, & ſceleſtum facinus, niſi vnius Atalantæ eloquentia reſtitiſſet. Siquidem, cum omnes domeſtici, trepidatione, & tumultu, aliò, atque aliò dilapſi, ſolam cum filiolis reliquiſſent, arreptis chariſsimis pignoribus, vt ignaris imminentis mali, ſic alieno metu territis, ad domus, vt vocant, proiecta, vnde eſt in ſubiectam plateam proſpectus, egreſſa, tantum orationis ſuauitate, tantum verborũ pondere, tantum auctoritate valuit, vt efferatos plebis animos deliniuerit, obſtinatos fregerit, impunitate de prauatos admitiora conſilia, ſedata feritate, conuerterit. O factum non modo mea, ſed omnium prædicatione maius! mulierem, a ſuis deſertam, a ciuibus nefarijs oppugnatam, abſente marito, cum quo, aut per quem loqui tantũ ſolebat, paruulis filijs eiulantibus, non timuiſſe vecordem multitudinem, furentem plebeculam, volitantium vndique armorum, telorumq. vim, ſaxorumq. coniectus! cuius oculos gladiorum diſtrictorum fulgor non præſtrinxiſſet? cuius os non compresſiſſet horribilis fremitus iratorum? In tam graui, inopinatoq. caſu cui non concidiſſet animus? ſtetit inuicta, contempſit omnia, atque pro nihilo habuit Atalanta, non ſexu, cui ſicariorum immanitas non perpeciſſet, non theſauris, quibus popularis auaritia inhiabat, non generis claritate, cui ſemper ignobile vulgus inuidit, non innocentia, cuius eſt leue præſidium, vbi libido dominatur, ſed vnius eloquentiæ auxilio tecta, cui homines, ad vim prompti, ad rapinam parati, armati in optimates, expediti ad ſanguinem, inuiti, coactiq. ceſſerunt. Sed ſit his de rebus ſilentium, quæ fama celebratæ, & annalium monumẽtis mandatæ, leguntur cum admiratione, excipiuntur cum plauſu.

Seditioſa quorũdã multitudo.

Atalantæ eloquentia in ſedanda concitata multitudine.

Proiecta partes ſunt domus prominẽtes ũde aſpectus nobis eſt inuicos, & plateas. Budæus.

Hoc ſatu, atque conceptu generatus, & editus eſt Horatius; has paternas, & maternas virtutes cum lacte ſuxit; hac domeſtica diſciplina, & præceptis inſtructus ita creuit, vt, quem ſemel ſenſum adoleſcentulus honeſtatis, pudoris, continentiæ, religionis, & ſanctimoniæ, oculis primum, cum aptisſimis ad decus exemplis, animo deinde, cum viua præceptoris voce, & pulcherrimis documentis ad omnem honeſtatem, & doctrinam informaretur, ceperat, eundem iuuenis retinuerit, eundẽ vir conſeruarit, & auxerit. Vt enim apes ſolent, ad aluearia

Educatio, & indoles Horatij.

B reditura,

rediture, flores, quos primis pedibus collegerunt, ad medios, a medijs ad poſtremos transferre, ſic Horatius, quas prima ætate virtutes animo imbiberat, ijſdem in dies magis, ac magis augeſcentibus, adoleſcentiam primnm, deinde iuuentutem, ætatem preterea mediam decorauit, futurus in ſenectute clariſsimus, niſi importuna mors illi uitam, nobis illius virtutes inuidiſſet. Mittitur ſuo tempore Peruſiā: qualis obſecro? floreſcens iam, confirmata ſtirpe virtutis, & illis imbutus artibus, quibus ad maiorum artium ſtudia adoleſcentum animi quaſi præparati, atque præculti eſſe debent. Haud credibile eſt, quanta facilitate, quam breui tempore, quam proſpero euentu multiplicem, ac variam Iuris vtriuſque ſcientiam inueſtigauerit, atque dedicerit; quanto cum verborum honore, & gratulatione illum, confecto Iuriſprudentiæ curriculo, collatiſque vetere conſuetudine, Doctoris inſignibus, grauiſsimi eius Doctrinæ magiſtri in Collegium ſuū admiſerint. Delectabat uiros doctiſsimos Iuuenis acutum, & perſpicax ingenium; probabant omnes, & pleno ore laudabant morum ingenuitatem, comitatē, affabilitatemq. ſermonis. Erat erga magiſtros, factus iam illis honore par, tanta obſeruantia, vt eos in parentum loco coleret, ipſi què magiſtri ad comprimendam nonnullorum diſcipulorum audaciam, licentiam cohibendam, petulantiam refrēnandā, nullius, niſi Horatij Celſi exemplo, publice, & priuatim vterentur, vt, cum imbrobi eius conſpectum erubeſcerent, omnium in eo bonorum figeretur obtutus. Reuocatur interea domum, atque, vt in qua domo uirtutes ſibi compararat, ex ea, ad illarum exercitationem, exordium caperet, & quo præcipue illarum gloria reditura erat, inde ad alios redundaret, à Laurentio Celſo, Epiſcopo Caſtrenſi, & Bononiæ Prolegato, viro integerrimo, & præſtantiſſimo, Abbatia, vt vocant, Marticana, in Regno Neapolitano, donatur; addit alter frater, Franciſcus Celſus Beati Petri canonicatum, non ſolum permittente, ſed vehementer approbante, laudanteq. Gregorio XIII. qui Iuuenis ornatos mores, laudabilem vitæ inſtitutionem, conformationemque doctrinæ, & ipſe per ſe explorarat, & ex multorum ſermone cognorat. Non hic dicam, Horatium, ſimul ac receptus eſt in Collegium canonicorum, ſeq. ipſum, incluſaſq. dotes, & virtutes, foras erumpere geſtientes, ſine oſtentatione patefecit, fuiſſe æqualibus exemplo, ſenioribus admirationi, aliquibus inuidiæ. Communis multorum iſta laus eſt, & ab his ad illos promiſcue tranſlata, inſulſe iactatur: & Canonicorum Beati Petri Collegium eiuſmodi eſt, vt neque Summi Pontifices in illud, niſi probatiſsimos, legant, & lecti qui ſint, ita ſecum contendant, vt ſolius virtutis, & ſapiētiæ certamen ſuſcepiſſe videātur. Hoc taceri non debet, nec diſsimulari poteſt, Iuuenis modeſtiam, quam vultu, qui animi certus index eſt, ſermone, inceſſu, moribus præſeferebat, in cōſultatione prudentiam, ſtudium veritatis in ſententia ferenda, in perſuadendo vim, grauitatem in rebus ſerijs,

a teneris aſueſcere multum eſt.

Mittitur Peruſiam ad vtrumque Ius perdiſcendū Hor.

In Collegiū Doctorum cooptatur.

Reuocatur domū Hor.

Laurentius, & Franciſcus Horatij fratres.

Horatius Abbas Marticanus, & Canonicus B. Petri.

Horatij virtutes.

Collegiū Canonicorum.

in iocoſis leporem in omni denique virtute conſtantiam vſque adeo cunctis arriſiſſe, vt eum idem Gregorius Protonotarium Apoſtolicum fecerit, nec multo poſt Viterbium, pro Legato miſerit, cum Legatus eſſet Alexander Farneſius Cardinalis. Non recuſauit Prouinciam Horatius, ne, aut ſuperbus, quaſi illam meritis ſuis inferiorem duceret, aut ignarus, quaſi laborem fugeret, aut ineptus, quaſi formidaret, haberetur. Heſit tamen aliquandiu, adhibuitq. in conſilium rationem tam prudenter, vt eum nemo in deliberando nimis aut præcipitem, aut tardum poſſet arguere. Cogitabat quidem multa ſecum, quæ perterrere, ac perturbare exercitatiſsimum quenque poſſent: quæ qui non conſiderat, fieri nõ poteſt, quin temere & ſuas, & alienas res adminiſtret, &, vt initia male poſuit, ſic cetera ſequantur.

Greg. XIII. Protonotariũ creat, & poſtea Viterbiũ Prolegato mittit.

Prudentiſſimę cogitationes.

Veniebat illi præcipue in mentem Alexander ille Farneſius, ille, in quam, Alexander, ſacri Collegij Princeps, virtutum concurſu, ſupra quam dici poſsit, admirabilis, quem non eiuſdem laboris cõſortem, munerisque ſocium, ſed conſcium mentis, teſtem voluntatis, conſiliorum iudicem, ſpectatorem factorum eſſet habiturus. Videbat fore, vt omnis bene geſtæ rei laus vni Farneſio, pro auctoritate Imperij, poteſtate legationis, vetereq. gloria, tribueretur; ſin ſecus accideret, nõ dubitabat, quin dedecus, & ignominia ſibi relinqueretur, quod ea eſſet ætate, in quã, vt lubricã, & pręcipitẽ, totius errati culpa transferretur. Et quidem ſenem Principem cũ ſumma prudentia, & prope infinitus vſus, & rerum aduerſarum, & ſecundarum periclitatio, tum animi, omnibus belli, pacisque artibus exaggerati, magnitudo, priſtinaque felicitas, euectum ſupra ceterorum conditionem, extra omnem criminis culpam, communi hominum opinione, poſuerat.

Alex. Farneſius Card. & Viterbij Legatus, eiuſq. laudes.

Obuerſabatur ante oculos ille alter Moſes auctoritate, iudicandi prudentia, atque poteſtate, Samuel, Gregorius XIII. qui ab eo nihil vulgare, & vſitatum, ſed omnia exquiſita, rara, inuſitata exigebat. Neque enim Sanctiſsimo Pontifici mediocria placere multum poterant, cui ne maxima quidem ſatisfacere poſſe videbantur. Hæc, & alia, quæ multo facilius aſſequi prudentia veſtra, quam conſequi oratio mea poteſt, meditatus, alacer, & bonæ ſpei plenus, vt qui omnes vitæ ſuæ rationes, non ſolum ad Legati imitationem, verum etiam ad illius præſcriptum dirigere ſtatuiſſet, qui immortali ſapientiæ ſuæ lumine homines erga Rempb. eo modo affectos, quo in ſe ipſos, illuſtrat, rem aggreditur; ſummaque diligentia, & ſolicitudine ad Prouinciæ vtilitatem incumbens, ſingula prudenter inſpicere, notare hominum ingenia, mores rimari, veteres ſimultates ex animis, ſuam auctoritatem interponens, abſtergere, recentia odia, mirus beneuolentiæ ſuaſor, delere, enatas factiones (inſitam populorum amentiam) neutri parti ſtudens, ſed vtramque paterna charitate comprehendens, extinguere cæpit. Rei frumentariæ, pacuariæ, totique annonæ opportuniſsime prouidit; ius omnibus ex æquo dixit, omnium querelas patienter au-

Greg. XIII. laudes.

Quo modo Prouinciam geſſerit.

diuit; ſicariorum audaciam, & graſſatorum excurſiones ita compreſſit, vel potius ita oppreſsit, vt, quo quiſque vellet,eo, ſine vllo metu, commearet. His artibus facile aſſecutus eſt,vt Farneſius ipſe,Romæ, vbi grauiſsimis negotijs impeditus, toto fere anni tempore, detineri cogebatur, omni cura leuatus, conquieſceret; vt vnus Prolegatus & ſuam, & Legati perſonam egregia cum dignitate tueretur; vt nemo, qui cum ſene Farneſio Iuuenem Celſum,cum Cardinali Canonicum, cum Vicecancellario Protonotarium, cum ampliſsima Principis fortuna mediocrem ciuis Romani conditionem coniunctam videret, dicere iure poſſet;pondera diuerſa in vno ſacco eſſe incluſa:quod veteri lege vetabatur. Quid interea Viterbienſes? Illi quidem Horatij prudentiam, expeditamque ad omnia conſilia mentem admirabantur; integritatem,innocentiam,iuſtitiam vtraq. manu ad aſtra efferebant, optata tranquillitate,honeſto otio,rerum omnium,vbertate perfruẽtes. Deſiderari videbatur occaſio, qua tantarum virtutum ſplẽdor, & gloria, intra vnius regionis anguſtias incluſa,foras tandem aliquando prorumperet; oblata mirabiliter eſt. Peruenerant enim prope Viterbium, primum, quaex Etrutria adiri Roma ſolet, Pontificiæ ditionis,oppidum, regij ſanguinis Iuuenes, Regum Iapponenſium, & Goenſium Legati,vt Pontificis Maximi pedes oſcularentur,eaque reuerentia, & obſequio,receptam à ſe, & à quibus mittebantur, chriſtianę fidei veritatem teſtarentur. Eos Horatius,eorumque totum & doctum,& religioſum, & nobilem comitatum,qua apparatus elegantia Viterbium introduxit? Qua liberalitate, pro ſuarum copiarum ratione ſemper beneficus, excepit? Quibus officijs coluit? Qua comitate, quo verborum lepore, quam eruditis ſalibus hoſpites ipſos, de via feſſos, ad hilaritatem inuitauit? Qua obſeruantia eorundem voluntates,ac ſtudia ſibi deuinxit? Et hæc omnia tam ſine faſtu, tam ſine iactantia, tam ſine vlla hominis negotioſi concurſatione, tanta cum omnium gratia, vt ad opinionem, quàm externi homines de Romanorum humanitate,lautitia, ſplendore, atque hoſpitalitate,habebant,omnino confirmandam, graue momentum attulerit conſuetudo,& congreſſus Horatij, & eius virtutibus illorũ Principum aduentus, & hoſpitiũ teſtes obtulerit,quorũ linguis,& ſermonibus ad vltimas Solis orientis oras, parteſq; terrarum perferrentur. Sed nimis diu abeſt à patria Horatius, nimis diu apud alienos moratur; ferre illius deſiderium non fratres,nõ propinqui,nõ amici poſſunt.Redeat iam Romã; repetat domum; referat ſe ad ſuos; reſtituat virtutes ſuas ornatiſsimo Canonicorum Collegio; detur ,vt inquit ille,aliquando otium, quieſque feſſo: reſpiret a curarum mole, emergat à fluctibus negotiorum. Factum eſt ſatis pontificiæ voluntati,ſatis vtilitati Prouinciæ,ſatis hominũ exſpectationi. Decedens ergo de Prouincia,quã toto ſui muneris tempore pacatã, concordem, florentem pręſtiterat, diſceſſu mœſtam,& maximi plenam deſiderij relinquebat,Romam,ad

Deut. 25.

Viterbieſes.

Goenſium,& Iapponenſiũ Legatos, Regij ſanguinis iuuenes liberaliſsime, & prudentiſſime tractauit

Reuertit Domum Horatius.

Sene.in Herc. fur.

Canonicatum reuertit,tam facile priuati ſumpto habitu,quam liben-
ter exſuerat Prolegati. Vt eum multi nequaquam eundem eſſe cre- Mira ad res
derent,quem paulo ante uiderant diligentem,ſolicitum, uigilantem, omnes Horatij facilitas.
acrem in rebus agendis, in omnes partes intentum, controuerſias & aptitudo.
dirimentem,hos præmijs, illos ſupplicijs afficientem,& iuſti,uerique
Legati imperium,& uim æquabiliter exercentem.Eſt hoc pene inſitũ, Humanum
& ingeneratum,ut,qui publicam aliquando perſonam geſſerit,æger- ingeniũ qua
rime illam deponat,quod grauibus negotijs inter eſſe,imperare cete- le.
ris,officioſe ſalutari, & coli,ac, uelut oraculum quoddam, ab omni-
bus exaudiri,habeat quidem (ſi ſapientem audias)multum moleſtiæ,
laboris, periculi, ſed quæ omnia (ut ambitioſus diſputat) ſplendor
dignitatis, celebritas populi, multus, magnusque comitatus, peril-
luſtris rerum ſpecies, & ipſa dominandi dulcitudo obruat, & extin-
guat. Habet,ut auarus iudicat,unde patrimonium augeat;unde præ
dia emat; unde luculentiſsime ædificet; unde ſuos ditet; & illicita
ſperare audeat, inſperata conſecutus. Quod ſi ad ea, quæ reliquit,
deſcendere cogatur, retinet tamen depoſitæ perſonæ auctoritatem &
uoce,& inceſſu,& aditus difficultate; gerit ſemper, quos ſemel ſum-
pſerat, ſpiritus: ac neſcio quod imperioſi hominis ſupercilium oſten
dit, nunquam ſtatus prioris oblitus. Sed tamen, ut digitorum con-
tractio facilis, faciliſque porrectio, propter molles commiſſuras,
& artus, nullo in motu laborat; ita Horatius ſe, propter prudentiá,
& miram naturæ aptitudinem facillime,uel ad publica negotia expli-
cabat,vel ad otium, & quietem colligebat: & ſine vllo labore ad cu-
iuſuis perſonæ decorum componebat. Non licuit tamen illi (neque
enim eius virtutes, quæ multos iam Eccleſiæ Catholicæ fructus attu-
lerant, & multo plures promittebant, decere videbatur) illa priuata
vita, otioſa, ipſi ſoli fructuoſa, quamuis honeſtiſsima, diutius frui.
Etenim Sixtus V. Pontif. Maximus Melphienſem Epiſcopum crea- Creatur
uit, non ambientem,vel potius nihil tale ſuſpicantem, vt qui, cum ita Melphienſis
adoleſcens, iuuenisq. vixiſſet, vt latere nulla ratione poſſet, ſe tamen Epiſcopus à
iam virum,facta,non tanta ad ętatem annorum,quanta ad vitam virtu Sixto V. Pontif. Max.
tum,acceſsione,ab alijs ignorari,ſuamq. famam nõ dum earum ædiũ,
in quibus habitabat, limen egreſſam putaret. Tam demiſſe de ſe, tam
humiliter de ſuis virtutibus, tam anguſte de meritis in Rempub.ſen
tiebat! Nec tamen auſus eſt, cũ initio dubitaſſet,munus illud recuſa-
re,ne diuinę uoluntati,quam ſemper reſpexerat,repugnare,aut publi
cæ utilitati priuatas rationes ſuas anteponere, aut laboranti Eccleſię,
ſi quid opis afferre poſſet, ſubuenire nolle uideretur. Eum ergo iam
ſacris initiatum, Euangeliſta Cardinalis Pallotus, in ęde diui Mat- Sacris initia-
thæi, & quod eius tunc dies feſtus toto Orbe Chriſtiano ageretur, tur, & ſacrifi
& quod illius templi titulum ampliſsimus Cardinalis,præferret,con cat Horati'.
ſecrauit. Ibi primum Horatius Celſus, Melphienſis Epiſcopus, in
magno hominum honeſtiſsimorum cõcurſu, præſentibus eodẽ Euan-

geliſta

Pallotus tituli S. Matthei & Montelperus tituli S. Auguſt. Cardinales.

geliſta Pallotto, & Gregorio Petrochino Montelparenſi, illuſtriſsimis Cardinalibus, ſacrificium illud peregit, quo pia cularis hoſtia; ſalutaris victima, Agnus, inquam, cæleſtis, qui genus humanum omnibus ſceleribus, ſuo ſanguine expiauit, diuinumque numen à ſeueritate ad miſericordiam flexit, immolatur.

Ire deſiderat ad Epiſcopatum Hor.

Nihil omnium rerum erat Horatio potius, quam vt ſe ſtatim ad ſuum Epiſcopatum conferret, ſuosque Melphienſes inuiſeret, a quibus litteris, nuntijs, & precibus aſsiduis, vt venire maturaret, vrgebatur.

Mortuis Sixto V. Vrbano VII. eligitur Gregori⁹ XIIII.

Moritur interea Sixtus V. Eum Vrbanus VII. duodecimo Pontificatus die, nondum coronatus, ſequitur: eligitur tandem Gregorius XIV. Horatius hac tanta, tam ineſpectata, tam repentina rerum commutatione, nihil mutatus, id vnum agebat, vt ſe quam primum ad iter pararet, cum iam domeſticam ſupellectilem præmiſiſſet. Nouerat, nouerat vir prudentiſsimus, gregi, cuicuimodi ſit, diuturnam paſtoris abſentiam ſemper fuiſſe pernicioſam, idque vel vnius Moſis exemplo confirmari poſſe dicebat.

abſentia Paſtoris, gregi pernicioſa.

Quamuis enim Sanctiſsimus vir iuſtiſsimis de cauſsis abeſſet, tamen, cuius præſentia ſe populus ille male ſanus ab impuritate abſtinebat, & ſuperſtitione, eius diſceſſu, voluntati ſuæ, naturæq. modis omnibus improbæ, relictus, nefarium illud, & impium facinus ſceleris, perfidiæq. commiſit. Nulla itaque res eum detinere potuiſſet, nec, vt profectionem in aliud tempus differret, impetraſſet, niſi Gregorius

Iubetur ire in Flaminiã pro Legato, cum eſſet Legatus Card. Sfortia.

XIIII. eum pene ab itinere reuocaſſet, ſeque cum Franciſco Sfortia, Cardinali Clariſsimo, & nobiliſsimo, qui Flaminiæ Legatus præerat, coniungere iusſiſſet. Paruit ſubito, eoque relictis rebus omnibus, contendit, quo vel chriſtiana charitas vocaret; vel maior Reipub. neceſsitas impelleret; vel optimi Pontificis auctoritas mitteret.

inſignis in parendo Pontificijs mandatis Horatij diligentia.

Nimirum hoc illud eſt, quod Diuus Bernardus ſignificabat, cum à viris religioſis cæcam obedientiam requirebat: ne ſuperiorum conſilia curioſius conquirant; ne conſiliorum euentum cogitatione præcipere conentur; ne locorum interualla prænoſcere velint; ne itineris rationes à ſuis alienas accuſent; ſed protinus, quod habent in mandatis, exſequantur. Neque enim rem differre, ac procraſtinare ſolet verus obediens; ſed ſtatim præbet aures attentas voci imperantis; manus labori admouet; pedes itineri parat; nec exquirit, cur, aut quale ſit,

Hor. non ſolum cæcam, vt voluit beatus B. ſed mutam obediẽtiam præſtitit.

quod imponitur, hoc ſolo contentus, quòd imponitur; recte ne, an ſecus, qui impoſuit, ipſe viderit. Verum Horatius, cuius mens ſemper erat erecta ad audiendam illam vocem, quæ eſt Spiritus Sancti longe, lateque reſonans inſtrumentum, animus alacer, & expeditus ad parendum illi, cuius voluntatem cum diuina congruentem credebat, & cæcam, & mutam obedientiam præſtitit.

Legati, & Prolegati cõſenſus in regenda Prouincia, & vtriuſq; facta.

Accepit eum benigiſsime, & honorificẽtiſsime Legatus, maximi animi, & veterum heroum, omni laudum genere, ſimillimus, Cardinalis Sfortia; ſenſitque tota illa Prouincia, atque percepit incredibilem vtilitatem ex mirifica vtriuſque ad communem ſalutem, & decus, amoris conſpiratione. Facile ſi

quidem

quidem viam inuenerunt, qua regionem illam, latrocinijs,& rapinis, & cædibus infeſtam,priſtinæ tranquillitati reſtituerent; famem, quæ totam Italiam atrociſsime inuaſerat, aduecta, vnde licuit, annona,depellerent; obſeſſores viarum,agrorum depopulatores, & ſæuos homicidas,quorum animi,& audaciæ impunitate, & miſerrima illa rerum perturbatione,maxime creuerant, acriter inſectati, è tota Flaminia, cum ſumma populorum lætitia, & gratulatione, & immortali vtriuſque gloria,penitus exterminarent. Etenim cum Legatus excellentẽ, ac vere generoſam animi vim, & ardentem iuuandæ Reipub. cupiditatem, Prolegatus conſilium, induſtriam, experientiam, & vſum in vnum contuliſſent, facile opus illud & magnum, & arduum confecerunt. Neque hic eorum admirabilis,& ignaui otij ignara,& inſolens, virtus conſtitiſſet; ſed,nacta campum, magnitudini ſuæ parem,lõgius progreſſa,quid ille conſenſus, & conſpiratio in Repub. benegerenda poſſet,quid ad bonorum præſidium, terrorem improborum, pacem, & concordiam Prouinciȩ valeret,Orbi terrarum oſtendiſſet,niſi illam intempeſtiua, & importuna Prolegati mors repente diremiſſet.Siquidem morbus, initio, vt videbatur, contemnendus, ſic illius vires afflixit,vt homo validus,egregia corporis firmitate, ætate florenti, ſingulari temperantia, ſuſtinere illum diutius non potuerit. O imbecillitatem humanæ naturæ (vel potius, atrociſsimã morbi vim,quæ viro, immortalitate digniſsimo, in magna longiſsimæ vitæ ſpe immaturum interitum, nobis in ſumma exſpectatione mirabilium actionum grauiſsimum dolorem attulerit (Equidem, viri præſtantisſimi, diu, ac multum vobis dolendum, verſandumque in mærore, & lacrimis putarem, niſi vno ramo è veſtra arbore Moro, a qua Celſiana familia & inſigne,&,ſi materna lingua proferatur, nomen accepit, niſi,inquam, vno abſciſſo ramo,multos adhuc,vos, nimirum,mortui Horatij fratres ſupereſſe recordarer,qui veſtris virtutibus illius vitam, in terris actã, producatis; crebra vſurpatione rerum, ab illo geſtarum, illius nomen ab interitu uindicetis, aut quando ille ſibi immortale comparauit, tueamini, & conſeruetis; illius lumen, ſenſim, ut ſunt res humanæ, intermoriens,ex veſtro lumine (ſcitis, quid uelim dicere) accendatis. Sic maximum damnum,quod familia ueſtra unius Horatij amiſsione fecit,ſuis ipſa bonis,& mira fœcunditate,qua tot Celſos,tam præſtantes, tam ſimiles fraternæ probitatis, tam utiles Reipub. Chriſtianæ, genuit, pro arbitratu ſuo reſarciet, & mortui iacturam æquo animo feret,uiuorum præſentia,conſpectuque recreata. Neque ego unquam te,Horatij Celſe,parum vixiſſe dicam, qui nouerim uitam, non quantam,ſed qualem conſiderandam eſſe, unumque diem, ex præcepto diuinæ legis actum, anteponendum aliorum uitæ, ad plurimos annos perductæ. Quod ſi non quantum quiſque uixerit, ſed quantum uiuens, communi uitæ profuerit, ponderandum eſt,quos Neſtores, & Tithonos,& ſi qui fuerunt alij, quos uitæ longitudo celebres fecit,ac notos,

Inopinata Horatij mors.

Morus Italice Celſus appellatur, hinc, & nomen, & inſigne familiæ Horatii.

Qui cum virtute vixerũt, eorum nunquam fama moritur.

notos, non ſuperauiſti. Quanquam iſti, vt verum fatear, nec diffitetur quiſquam, parum, aut certe nunquam vixerunt; ſi male, turpiterque vixerunt. Tandiu enim viuimus, quandiu viuimus bene. Aeſtimari vita potiſsimum debet ex bonitate morum, præſtantia virtutum, claritate nominis, recte factorum gloria, ex voce, conſenſu, teſtimonio prudentium hominum. Hæc cui contingunt, ei æternitatem, & immortalitatem donare exiſtimantur, etiam ſi illum, in ipſius uitæ apparatu, uita deſeruerit. His te bonis & amicorum admiratione, & inimicorum, qui notæ, ſpectatæque uirtuti nunquam defuerunt uoluntarii, confeſsione floruiſſe, teſtis eſt Academia Peruſina, teſtis Viterbienſis ciuitas, teſtis Flaminia, teſtis, inſtar Orbis terrarum, Roma, totaque Italia, teſtes terrarum ultimæ regiones. Teſtatur idipſum cælum, quando te, in iſta ætate, quaſi diutius tuis uirtutibus carere noluerit, ad ſe, ad Beatorum ſedes animorum, ad ſocietatem Alexandri Farneſij, ad conſpectum diuinæ maieſtatis, ad quam fruendam inuitabat ſæpe, & allectabat, vt optamus, & ſperamus, euocauit.

ex quibus rebus vita potiſsimum eſtimetur.

D I X I.

Errata.

Gollegium,	Collegium.
nonulli,	nonnulli.
uerumq.	rerumq.
milto,	multo.
In gentilſij,	gentilitij.
ſubſlatus,	ſublatus.
ædita,	edita.
ſubſtentabant,	ſuſtentabant.
ſomęq.	famęq.
Lelij,	Lęlij.